Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2375

Quelle:
Copyright:

Peccatorum distinctione Sermo est, legatur: *Incipit nouus tractatus*, et ad calcem: *Istum ultimum tractatulum scilicet de distinctione peccati mortalis et venialis composuit vir Sapientissimus magister Matheus de Cracouia sacre pagine eximius professor ac Artium valentissimus doctor*, totum tamen Opusculum ad Eundem pertinere videtur. Non tamen illud est, quod ei *Cod.* XC. perperam tribuitur, sed incipit: *Quilibet peccator uolens confiteri antequam ad Sacerdotem vadat* &c. et finit: *ad alia impertinentia quod esset mortale.* Nemo, quod sciam, eorum, qui *Matthaei* nostri Scripta enumerant, ejus meminit. De illo dictum ad *Codd.* varios, ut *Index* manifestat.

IV. *fol.* 166. p. 2. *Hic docetur qualiter placitandum sit in iudicio spirituali et hoc secundum iura canonica.* Libellus constans *Capp.* XII. incipit: *Quoniam in tractando iudicio magna est necessaria circumspectio* &c. agitque de Personis in Judicio intervenientibus, de Judicii processu, Citationibus &c. ultima sunt de Petitione scribenda, quae finiunt: *Acta sunt hec coram istis. et cetera.* Subjecit festivus Librarius: *Explicit expliceat ludere scriptor eat.* Ita et alia Spatia vacua membranae variis Notulis conspersa sunt, interque eas latine et teutonice *Quinque Mirabilia:*

Balneator sine sudore
Molitor sine furto et pudore
Histrio equorum sine mendacio
Pickhardus sine bombisacio
Lusor sine periurio.

DCXXII.

819 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 22. 8. dicatus honoribus *Octaviani II. Fuggeri* L. B. in *Kirchberg* et *Weissenhorn* continet Rhythmos pios, qui inscribuntur: *Ein schöne vnnd tröstliche Betrachtung deſs todes. Ein schön Gebett. Ein kurtze Erinnerung von dem Jüngſten tage. Ain schöner christenlicher Spruch*, adjecta exhortatione prosaica. Poetam infimi subsellii vel hic ingressus prodit:

Der todt haltet gar vöſt ſein recht,
Er zuckht den könig Alſs den knecht,
Wir ſindt alle in ſeinem gewalt,
Er Nimpt vngefürlich Jung vnnd Alt, &c.

DCXXIII.